

*in qua actiones corporis cunctæ, nutritio, sensus, motus, cogitatio, quæque his ancillantur, mediocres & inculpatae eduntur, plurimum omnino momenti ad illam tuendam indolentia & hilaritas moderata afferunt. De cæteris affectibus, qui & ipsi non parum sanitati vel conferre vel detrahere possunt, iam nihil dicemus. sunt quidem omnes illi vel cum aliqua tristitia, vel voluptate lætitiæ coniuncti.*

*EX COR. CELSI LIB. I.*

*Quemadmodum sanos agere conveniat. Cap. I.*

*SANVS homo, qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet: ac neque medico, neque alipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in vrbe, sæpiùsque in agro: nauigare, venari: quiescere interdum, sed frequentiùs se exercere. Si quidem ignauia corpus hebetat, la-*